



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Orator Christianvs Caroli Regii E Societate Iesv**

**Reggio, Carlo**

**Romæ, 1612**

Ante Quadragesimam paret se per aliquæ exercitia spiritualia, & paratas  
habeat conciones. cap. 19.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-68672](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-68672)

hil se, nisi ipsum velle querere, nihil nisi animarum salutem, nullo modo se, aut commoda sua.

*Ante Quadragesimam commentationes spirituales*

*Cap. X. I. X.*

**M**aximè conducet, vt antequam conciones aggrediatur, per aliquot dies ab alijs curis, ac studijs vacuus sese, commentationibus dedat spiritualium exercitacionum, quæ ad renouationem spiritus valere possint, & ad deuotionis spiritum excitandum tendant. Cuiusmodi essent Primo meditationes, quæ ad sui notitiam eum iuuent, suorumque defectum, ac perturbationum cognitionem, vt coram Deo seipsum accuset, ac imparem tanto muneri confiteatur, & doleat ex animo, quod in via spirituali, quam alios vult docere, tam parum ipse profecerit; deinde poterit aliqua ex his quæ in principio primæ partis à nobis proposita sunt animo versare, ad illustrandum intellectum, & voluntatem inflammandam: de officij huius dignitate, ac partibus de recta intentione, de zelo animarum, de amore erga Christum, deque alijs virtutibus quas enumerauimus, & erga Deum, & erga proximos. Deque prudentia in omnibus tenenda, de qua actum est in tertia parte. Hac ratione animum à noxijs affectibus purget, vt spiritu sincero loquentem Deum audiat in corde suo: spiritum rectum innouet zelo gloriæ Dei, zeloque salutis animarum muniat; opem à Deo exposcat ad tantum ministerium ritè obeundum, ipse prius sibi prædicet quam alijs, à Deo discat ipse priusquam doceat, illuminetur antequam alios illuminet. Ita plerosque sanctorum fecisse legimus. Greg. Naz. in quadam sua ad populum oratione: Non sum, ait, Baptista, ex heremo tamen venio. Christus ipse aggressurus suam prædicationem secessit prius in desertum locum, vbi ieiunijs, & orationibus per quadraginta dies ac noctes vacauit, vbi tacebat ore, sed instruebat opere, & quicquid verbo dicturus erat, prædicabat exemplo. Tertio curet ante Quadragesimæ tempus paratas habere omnes conciones accuratè, ac diu expensas, adhibita tempestiuè diligentia, ne opus sit in ijs parandis in ipsa Quadragesima laborare. Nam quotidianus dicendi labor, & studium meditandi ea quæ in promptu sunt ( nisi velit oneri succumbere ) nequaquam spatium concedunt inueniendis de nouo, ac disponendis quæ prius non excogitavit, ac di-

Conciones  
sint paratæ, &  
quales.

ac disposuerit: præterquam quod id commodi accedit ut etiam suppetere tempus possit, quo celebrandæ quotidie missæ atque orationi vacet: cuius prætermisio in causa est ut aliquorum in concionibus deseruescat charitatis ardor, neque loquantur ex abundantia cordis, neque ad cor; Adde quod necesse est, ut aliquid temporis tribuat ijs qui de conscientia sua animiq; salute consulturi accedunt.

Quarto, noster Ecclesiastes meminerit quod monuimus alibi, valde necessarium esse ad finem sibi propositum, ut suas conciones ad odium, ac dolorem peccati dirigat; ad morum correctionem ad excolendam Christianam iustitiam, & perfectionem; & materias ad id maxime idoneas seligat, nisi velit populum suo fructu priuare, Deum gloria, & lucro spirituali se ipsum. Quid enim attinet (quod multos factitare videmus) pleraq; erudite, ac ornate ad pompam, atque adeo cum admiratione auditorum dicere, quæ imperitum populum non erudiant non absterreant ab effrenata viuendi licentia, non animos addant aut excitent ad virtutem? Ludouicus Carbo spectatæ probitatis & prudentiæ vir, in sua Christiana Rhetorica id consilij concionatoribus dat, Quod ipsum memini mihi ab eo non semel dictum, cum aliquos ante annos Ventijs vna essemus: ut quadragesimali præsertim tempore, populus alterutra concionis parte de ijs rebus instituat, quarum capita catechismo continentur; Nam cum hæc vel à tenera ætate memoriæ mandari soleant, nunquam tamen explicationem eorum facile populus assequitur, neque inculcantur ab ijs, quorum interest, vnde fit, ut rerum scitu necessariarum magna ignorantia sit. Equidem consilium hoc probo, non tamen suaferim, ut omissa Evangelica historia, vnum aliquod caput ex ijs quotidie tractetur ex ordine nisi forte in aliquo oppido aut pago, necessitas urgeat, tunc enim prior concionis pars posset in huiusmodi declaratione versari; secunda verò, capita nonnulla ex Evangelio ad excolendos mores proponere; In alijs autem locis, vbi ignorantia tanta non viget, haud facile Evangelicam historiam, priori parte omittendam putarim, cum iam longe diuersa consuetudo inualuerit, neque si sæcus facias populo valde arrideat. Res ipsa tamen, & placet, & obseruari potest, imo & expedit scilicet ut ex occasione, quam Euangelia præbent explicentur quæcumque ad Institutionem populi necessaria videbuntur, idq; arbitror omnino esse præstandum, ut præcipua Doctrinæ Christianæ dogmata

Materiae quales.

mata, Decalogi præsertim attingantur. Atque ut his quoque satisfiat, qui Evangelicam historiam audire cupiunt, video pluribus placere ut principio concionum, summa Evangelij capita loco exordij referantur, quod qui bene præstare, noverint se doctis pariter, & indoctis hac in parte satisfacisse, credant.

*Episcopi Benevolentia, & Reuerentia ac bonum nomen.*

*Cap. XX.*

**Q**Vinto cum in urbem, in qua est conciones habiturus aduenit, decretum Concil. Trid. sess. 5. quamprimum seruare studeat; ut scilicet Episcopum adeat, ab eoque benedictionem accipiat, cum magna submissi animi ac reuerentis significatione, ut erga eum quem scimus à Deo in sui locum constitutum, & quem magno à nobis honore colendum scripturæ docent: Tum se in illius tanquam communis parentis benevolentiam, sine qua ut compertum est, vix possunt haberi cum fructu conciones, omni studio ac diligentia insinuare contendat, promptum significet animum illi in hoc munere feruendi, eiusque votis obsequendi. Quandoquidem partes illius acturus est, ut administer:oret ipsum ut cogitet, ac moneat quæcumque sibi ad suarum ouium utilitatem profutura videbuntur, quippe qui ceteris oculatior & in specula constitutus, probe viderit earum morbos ac necessitates. Magistratum etiam & aliquos e primoribus ciuitatis, si ita iudicauerit, inuisat, cum præsertim cognouerit ab ijs id officij expectari, & gratum fore: Neque tamen id præstandum cum multis esse crediderim, ne quid affectatum videatur, quasi vero prensare velit, & sibi concionum frequentiam allicere. Abstinendum tamen à mulieribus adeundis existimari, ne cui detur occasio obloquendi, ut aliquando contigisse alicubi compertum mihi est: sicut etiã dant sermonum materiam, qui literas commédâtias ad plures deferunt, tanquã, eo modo aurã popularẽ, & audientiam emendicent. Libentius hoc officio fungerer, cum ijs qui curã habent animarum viris Ecclesiasticis, præcipua in vrbe auctoritatis, ac sanctitatis. Horum enim familiaritate, prudentia, opera, consilio, iuuari potest concionator non parum ad ferendos ex concionibus fructus vberiores. Ineat quoque cum alijs concionatoribus amicitiam, si occasio sese offerat sed modeste, & cum ea amoris significatione, quam religiosa charitas

&